



4.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QVA

ANALEPSIN RATIONALEM

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PUBLIC.  
ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT.

VT ET SOCIET. IMPER. NAT. CVRIOS.

ET REG. BRITANN. SOCIO

DOMINO PATRONO STVDIORVMQVE SVORVM PROMOTORE  
AETERNVM COLENDO

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

D. XX. OCTOBR. MDCCXXVII.

H. L. Q. C.

PRO GRADV DOCTORIS

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

EXPONIT

AVCTOR RESPONDENS

IOANNES THILEN

MOENO - FRANCOFVRTANVS

DEO  
PATRIAE  
FAVORIBVS  
ATQVE  
AMICIS.



Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.

**R**eſte monuit quilibet dixit: a Medico omnem abeſſe debere Temeritatem; quae enim temerariis Medicis merces, niſi ignominia, malae conſcientiae nota, et rigorosa denique animaduerſio, ni coram iudice rei perito in his terris, ibi certiffime coram iudice iuſtiſſimo omnifcioque? Agere enim et neſcire, uita, an mors ope noſtra procuretur, nefandum eſt conamen, et euentus per mortem ueritatem huius rei dolendam fere ſemper docet. A me quidem longiffime abſit, ut ullius offendam dignitatem atque perſonam, nam de peritorum atque ingenuorum Medicorum legitimis curis mihi neutiquam propoſui hoc loco diſſerere, et exitus ipſe acta eorum probabit. De abſurdis, inſidis ac infelicibus Empiricorum tentaminibus haec tantum ſunt prolata. Iſti, qui mortalium peſtis merito audiunt, nihilo tamen ſecius legitimorum Experientiſſimorumque Doctorum nomen ſibi rapiunt, omnis methodi expertes, aegrotos non modo clam

A 2 et

et in publico foro lesquipedalibus uerbis suis seducunt, uel leue et reparabile damnum sanitati inferunt, sed et eodem temerario raptu ac fiducia in sua arcana, quibus indiscriminatim nunquam non utuntur, multiuarium etiam homicidium medicum committunt. Tristia haecce, proh dolor! fata sacra ars nostra omnibus temporibus experta est, ita, ut quae uitae et sanitati usui esse possent atque deberent, in detrimentum ac perniciem illius adhibeantur. Notissimum equidem est prouerbium: *Nouus Medicus, nouum coemeterium*, ipseque HELMONTIVS iudicauit, quemuis iuniorem Medicum prius gibbosa reddere coemeteria debere, quam certitudinem in arte medica acquirat. Non sanè negandum est, experientiae primam originem debere nostram artem, eamque per experimenta in dies crescere et confirmari, sed accedere praeterea debet ratio, quae obseruationes rite instituere et ad alios casus accurate applicare docet. Rationalis et certa est Medicina, ac talis semper permanebit, non obstantibus omnibus qui nobis hac in re contradicunt. Et speciatim Therapia celeberrimorum modernorum Medicorum eodem firmo stat pede, cum fulcro scilicet methodico. ex uera corporis humani physica consideratione et uera historia morborum connexo. Has igitur scientiae iatricae partes qui probe didicerit, bene curabit, et talimodo iuniores saepe Medici, etiam si non propria, aliena tamen experientia bene instructi, prae ueteranis Empiricis remedia, ad finem obtinendum necessaria et conuenientia, tempore debito prudenter applicare sciunt: Crassam uero empiriam exercent per uomitoria, purgantia et sudorifera (secreta sua) non solum Circumforanei, Pharmacopoei, Chirur-

rurgi castrenses, Barbitonfores, custodes boum, et u-  
tulæ obstetrices. Sed haud pauci Medicorum  
Empiricis non sunt meliores, qui sufficientibus  
in arte nostra principiis destituti, medicinam exhibent  
saepissime inconuenientem, nempe optima  
ceteroquin medicamenta, ubi illis non opus est,  
ordinando, uel incongrue praescribendo. Porro etiam  
contra rationem medicam peccant, qui ea, quae circa  
aetatem, sexum, temperamentum, consuetudinem, an-  
ni tempus et morbum praesentem, remedii operatio-  
nem, dosin illius et reliqua, quae in Praxi attendenda  
essent, non rite obseruant. O quam multis aegrotan-  
tibus iam infortunium id accidit, ut multis formulis,  
secundum regulas artis, ut dicunt, praescriptis, ex uno  
eoque leuiori morbo, in aliud priori longe acerbius ac  
grauius malum deducti sint! Nota mihi sunt exem-  
pla multorum, qui ex praepostera medicatione suorum  
Medicorum per acria diuretica. u. g. a Spiritus nitri dul-  
cis, inprimis minus recte parati, abusu, mictum cru-  
entum, a cantharidibus eundem morbum, arrosionem  
et exulcerationem uiarum urinariarum experti sunt.  
Prostant exempla foeminarum, quae per fortiora em-  
menagoga, aut per adstringentia inconuenienter appli-  
cata, in profusissimas uteri haemorrhagias, fluorem al-  
bum, subsequentes exulcerationes uteri et pudendo-  
rum sunt coniectæ, nec desunt exempla inter febrici-  
tantes qui calidioribus medicamentis sub arcanorum  
alexipharmacorum titulo, in eodem morbi cursu inter-  
fecti fuere, uel certe ceu hectici, phthisici, hydropici  
superstites in breue tantum tempus remanserunt; id  
quod etiam multis intermittente quadam febre pri-  
mum laborantibus, eadem inconsiderate suppressa, ac-

cidit, uti de hac materia citante *Excell. atque Doctiff. D. D. Io. IUNCKERO Fautore ac Praeceptore meo ualde fufpiciendo Confect. Medicin. Tab. LXXVIII.* regia adeo specimina habemus in nouellis publicis *Madridensibus de anno 1718. d. 19. Dec.* in Rege et Regina Hispaniarum. Hypochostriacis, hystericis aliisque, qui cephalalgia laborarunt, emeticis, purgantibus atque Balsamis uitae huius seculi, haud raro longe maiores anxietates, angustiae cardialgicae, nausea uomibunda, totalis motus peristaltici inuersio, imo uel mentis obstupefactio, uel ratione temperamenti deliria tacita maniacae conciliantur, quam certissime sine auxilio tali empirico aegrotantes nunquam experti fuissent. Ne autem eiusmodi errores in Analepsi frequentissime summe necessaria quoque contingant, iisque contra rationalem medicinam tam grauius peccetur, legitimam et rationalem methodum illius in Praxi iamiam mihi expertam Speciminis Inauguralis loco disquiram. Faxit diuinum Numen, cui totum me et omnia mea commendo ac confecro, ut in solatium aegrotantium cito, tuto ac iucunde sanandorum haec a me sint consignata!

## TRACTATIO.

### THES. I.

*Vita et sanitas in quo consistat.*

**S**anitatatis uitaeque rationem ante omnia cognitam habere debet, quicumque cum fructu curare intendit. Etenim non medicamentis, sed methodo legitime ea adhibendi, primatum tribui debere, iam dudum Experimentissimi Medicorum concludere. Sane remedia sine methodo, corpus sine anima merito uocantur, et methodus



thodus anima est remediorum. Est enim methodus, qua Medicus Naturae minister ipsius ordinem et intentionem obseruat, oculum in omnes partes Medicinae sedulo semper coniicit, et mox ad sanitatis, mox ad morbi statum, mox ad congruam huius curationem in ordine et nexu suo, respectum habet. Nemo itaque nobis uitio uertet, si huic Tractationi Pathologico-therapeuticae nonnulla etiam ex physiologicis praemitimus, et sanitatis uitaeque rationem ante omnia applicamus. Describimus autem sanitatem, quod ea non solum in partium corporis solidarum et fluidarum naturali integritate, sed etiam in animae seu mentis ipsius harmonia, et actionum omnium conueniente administratione consistat, quae pauca uerba reliqua omnia de structura seu mechanismo corporis, de principio motus in corpore, de motu humorum eiusque effectibus, se et excretionibus uariis, de nutritione, de generatione, de animi pathematibus et sensibus externis, includunt. His recte procedentibus, hominem uiuere et uigere, dicitur; ac uirium robur neque in anima solum, neque in corpore solo quaerendum, sed in utrorumque debito nexu et actuali conueniente motu, ad putredinem, ad tempus a DEO destinatum, a corpore abigendam. Requiritur hunc in finem, ut sanguis optimus sit in mixtione, aptus ad facilitandum motum circulatorium et nutritiam appositionem, nec non ut solidae partes fibris, tubulis, tendinibus et membranis gaudeant, ad exigentiam officii sui firmis, et legitime ad motum tonicum continuandum adaptatis. Ex parte animae uero notandum, quod ea ad tempus peculiari-ter dimensum peculiarem etiam indolem atque constitutionem a DEO acceptam habeat, ad quam uires auge-

augescunt, subsistunt, decrescunt et plane evanescent.  
uid. *Illustr. STAHLII Theor. Medica pag. 312. in membr. de*  
*actiuitate uitali.*

## THES. II.

*In Analepsi  
ad animam  
aeque ac ad  
corpus re-  
spiciendum.*

Si ergo defectus in uiribus hoc uel alio modo occurrit, nec functiones omnes, ut demum memoratum est, debite peragi queunt, medicum rationalem omnino oportet in Analepsi languentium ubique prospicere, ut corpori et menti satisfiat. Et hoc eo magis in Praxi assidue est attendendum, quo plures aegrotantium resuscitatione uirium egentium, Medicos aduocant, qui non simplici earum defectu, sed qui plerumque animo et corpore simul aegrotant. Sic e. g. puerperae in partu difficili, febricitantes in acutis, et alii in uehementioribus suis paroxysmis, non corpore solum materialiter, i. e. solis medicamentis, uerum etiam animo, bona prognosi, diuino solamine ac blando regimine externo, refici uolunt. Quem enim latet, fiduciam aegrorum in Medicum dimidium curae esse. Multum praeterea ad curam felicem facit, animi, nil mali sibi conscii, tranquillitas. De reliquo omnes, qui Christiani uere audiunt nobis semel pro semper id concedent, quod ad illustrandam gloriam summi Numinis, interdixit medicos de Analepsi, eius potissimum fundamentum ex theologis petamus. Temperare enim nobis uix possumus, quin exclamemus cum Psalmista: In Deo fortitudo nostra. Ps. XLVI. aut cum D. PAVLO: *DEVS non longe abest ab unoquoque nostrum, in ipso uiuimus et mouemur et sumus!* Actor. XVII, 28. *DEVS* itaque est primus motor, uti ex cunctis creaturis suis elucet, et omnium etiam earum principium mouens, adeoque fons et origo uirium nostrarum manet. THES.

## THES. III.

Vt uero ad scopum dissertationis nostrae propri-<sup>Analepsis</sup>  
um accedamus, demonstrandum est, quid per Anale-<sup>quid et quo-</sup>  
psin Medicam intelligamus, et quotuplicis speciei ea <sup>plex sit?</sup>  
detur. Analepsis, secundum communissimam Aucto-  
rum sententiam, ea est species Therapiae alterantis,  
quae principium agens in corpore ad uitalitatem con-  
seruandam eamque laesam restaurandam excitat. Quo-  
tuplex uero Analepsis sit ex definitione nunc declara-  
bimus (α) *physica* nimirum, quae ad corpus, et *moralis*,  
quae ad animam quadrat. (β) uel est *uniuersalis*, quae  
toti oeconomiae uitali labascenti conducit; uel *parti-*  
*cularis*, quando certae languenti corporis parti prospice-  
re uolumus, per specifica sic dicta cordialia, hepatic-  
ca, stomachica, &c. (γ) uel est *materialis*, mediante qua  
per remedia materialem defectum redintegrantia, diae-  
tetica nutrientia natura ad motus suos prosequendos  
roboratur; uel *formalis*, qua per remedia calidiora, acri-  
ora, spirituosa natura ad agendum excitatur. (δ) Dif-  
fert etiam analeptica naturae alteratio, motuum defe-  
ctum respiciens, ab illa, quae motuum excessui est de-  
stinata. (ε) Differt porro roboratio uirium externa ab  
interna. Et quum nomine ad rem cognoscendam et-  
iam iuuemur, dicendum est, graecis hocce uocabulum  
ortum suum debere, descendit nempe Analepsis ab ἀνα-  
λαβάνω, quod nihil aliud hic uult, quam ich komme  
wieder zu vorigen Kräften; inde Analepsis, eine Er-  
quickung/ Stärkung.

## THES. IV.

Ex his apparet, quid iudicandum sit de analepticis, <sup>Eaque sic</sup>  
qualia ab Empiricis, sub pomposis titulis, Tincturarum <sup>non Empi-</sup>  
B Sola-<sup>rica</sup>

Solarium, Cordialium, Balsamorum uitae, Panacearum, Spirituum astralium, solum quaestus causa uenduntur, ac in schedulis typis impressis, tanquam medicamenta ad uitae longaeuitatem facientia, et ad morbos omnes, nullo habito respectu ad eorum causas, propellendos conducentia, magnificis encomiis extolluntur. Ut enim talia quandoque in se bona, ac nullatenus reiicienda sint, si tamen promiscue applicantur, plus noxae, quam utilitatis asferre solent. Merito enim reiicimus, medicamenta Empiricorum Vniuersalia et Panaceas, quae quidem summa hominum medicina uocantur, sed minime solidae atque constantis experientiae examen sustinent. Sed sic in hodiernum usque diem Medicina corrumpitur, ut, cum paucissimis uera ac fida remedia a Deo in simplicitate sua detecta arrideant, Empirici nonnulli in turbine Chymicorum et Alchymicorum errorum oberrantes, multis aegrotantibus, ad ignium fatuorum instar, arcanis suis imponant. Hic unus grandiloqua lingua de sola chymicorum remedium praestantia dicit, et nulla alia, nisi quae ignis probauit; approbat; alius praeparatis ex regno minerali solummodo fidit; alius ex partibus animalibus Archaealia; alius rursus ex uegetabilibus, mira forte signatura conspicuis, extracta arcana sua depraedicat; ibi alius secretam Tincturam et Balsamum uitae ostendit, eum ualde commendans, et id eo magis quod grato rubicundo colore ad sanguinem quam maxime accedat: ita u. gr. innotuit Tinctura granorum Kermes, coccionellae et coralliorum, cuius ultimae tincturae uirtutes plerique Chymicorum tanti aestimant, ut inter analeptica praecipuum locum mereri putent, cum tamen, licet haud plane, inefficax sit medicamen, usus illius

illius encomiis neutquam respondeat : Illam quidem ad lenem adstringentem roborationem facere, certum est, a nemine uero adhuc dum sulphur solare in coralliiis latens, modusque illud extrahendi, inuictis argumentis demonstratum est. Imo, si dicam quod res est, omnes Tincturae coralliorum efficaciam suam medicam non tam ex se, quam potius ex menstruis suis u. gr. ex succo berberum, ribium, citri, spiritu mellis, uel penetrantioribus ex Mercurio sublimato, ac Spiritu Salis parato, uel a soluente Spiritu Vitrioli habent, quia pleraeque nihil aliud sunt, quam aggregati coralliorum solutiones. Innotescunt hinc inde alia quoque arcana ex Sole, Luna, Mercurio, Marte, Antimonio, Vitriolo, Nitro, &c. facta, a quibus omnibus si uera ac utilia separauerimus, parum consequemur. Audiamus super hac re testimonium grauissimi Auctoris I. S. CARLI Archiatri felicissimi Illustriss. Comitum ab Henburg Buntingen et Stolberg in *praefat. ad Fundam. chym. G. E. STAHLII*, ubi *nihil*, inquit, *dicam de ridiculis quorundam Medicorum correctionibus, nihil de Liquoribus grato colore imbutis, Tincturis Solaribus, Mercuriis fixis, etc. quae omnia nihil aliud quam inexperti Auctoris ingenium aperium.* Videantur etiam D. IAC. ROCKII *dissert. de chymiatría superstitiosa*, et Io. AVGVSTIN. STOELLERI Med. Aulic. Saxo-Barb. Amici mei integerrimi *de Ternario natur. in membr. 2. documenta chymica continente.* Et sane, si accurata mentis lance ponderamus, quod nulla remedia in toto hoc uniuerso sint, quae absolute et uel propria morborum causas tollere possunt, magis magisque elucebit, quam uanae sint promissiones eorum, qui arcana quaedam depraedicant, quibus cum promittunt in usum uocatis, morbum curare spondent.

B 2

Vt

Ut taceam vulgi errorem, qui mox in omnibus morbis suffugium suum ad puluerem ex septuaginta speciebus, tanquam ad tot morbos directis compositum, vulgo *Sieben und siebenzigerley Pulver* dictum, sumit. Pro infallibili caractere Medicatrorum, Seplariorum et aliorum Empiricorum ponimus porro illum, si quis solida scientia theoretica destitutus, coeco et damnofo ausu, nudis remediis, sub speciosis titulis uenabilibus, arti medico-practicae se immiscet. Nam ut taceamus, re ipsa difficillimum esse, Vniuersalium fidam atque indubitatam uirtutem probare, medicamina cuncta periti artificis postulant directionem.

## THES. V.

*Sed rationalis*

Sed omissis his, utut iustissimis, de modo curandi Empiricorum, querelis, nunc in thesi praesenti significamus, quid nos per *Rationalem* Analepsin intelligamus; exquisitissimam nempe corporis et animae alterationem in melius, bono consilio, et mediante indicato, ad indicans quam optume quadrante, obtentam. Recte audit optimum remedium sine methodo gladius in manu furentis, quo aeque cito occidere, quam sanare, possimus. Sed methodus, ut supra iam diximus, inuoluit prudentiam in Medicina eam, quae uti medicationes omnes, ita praepremis cum analepticis non promiscue, sed cum ratione ad causas et omnes circumstantias directa, instituit curam. Ecquis inter Medicos et alios nescit, prudenti semper oculo, et rationali analepticorum applicatione medica opus esse? Virtus enim medicamentorum, utut certissima sit, in hoc tamen plerumque multi ea adhibentes peccant,

cant, quod uirium iacturam non recte aestiment, nec an vires amissae an omissae sint, uti Illustris STAHLIUS loqui amat, bene distinguant et obseruent. Hinc mirum non est, si in uirium omissione, i. e. in naturae uoluntario illarum, ex morali quodam respectu, neglectu spirituosae et excitantiae plane nihil efficiunt, imo, si subiecta actiua, sensibilia, iuniora, plethorica, aestuosae, per eiusmodi remedia, et quo magis penetrantiora illa sunt, in maiores etiam anxietates, conuulsiones, lethalemque statum coniiciuntur. Attendat Medicus rationalis, necesse est, an potius uiribus uere exhaustis atque consumptis, an solum oppres- sis et remissis auxilio ueniat suo? uidebit illas seu amissas posse atque debere citius ocyus analepticis confortantibus conuenientibus refarciri; has uero iisdem reuocare uelle, inane, quin imo infaustum saepissime esse. Difficile etiam est analeptica, quae diuerso effectu semper uariare solent, pro diuersitate naturarum recte dirigere. Lege sis *Tab. CXIII. de Motuum uital. defectu generat. in Conspectu Medicinae* laudati Io. IUNCKERI. Hic itaque labor, hoc opus; quod uero finis coronat!

## THES. VI.

Missis autem omnibus de deceptione mundi me-<sup>Et metho-  
dica.</sup> dica, tam passiuam, quam actiuam, ulterius dicendis, accingimus nos ad commendationem methodicam subordinandorum certorum, utilium, ac toti oeconomiae uitali inferuentium, analepticorum. In eo igitur uniuersum artis therapeuticae roborantis praecipuum fundamentum dicimus consistere, ut semper habitum morbi ad medicamenta perpendamus, et medicamentorum

ad morbos. Ad morbos in genere si oculos nostros uertimus, uidemus illos omnes geminam tantum constituere classē, in quarum una stant affectus omnes, qui ad acutos referri queunt, in altera uero inueniuntur pathemata reliqua, quae schema chronicorum morborum ludunt. Ex quibus, quod ad remedia attinet, ominari quidem licet, nos, si unicum certae atque expertae utilitatis haberemus quoddam remedium confortatiuum et sedatiuum, reliquis omnibus medicaminibus sine ullo dubio carere posse; quia uero haec res, contra immodicam multorum iactantiam de suis arcanis, iisdem titulis insignitis, in hodiernum usque diem optanda magis, quam credenda est, necessarium fore arbitramur selectum plurium remediorum adferre, quae usu et experientia ceu uera analeptica probata sunt, et ad causas quascunque recte tantum dirigi et methodice applicari uolunt. Interea quam maxime in euolutione talium remediorum solliciti erimus, ne uel uana ostentatio sese discursui nostro immisceat, uel leuitate mentis quadam salutaria confortantia remedia, per alios quoscunque patefacta, parui aestimemus, aut incredulitate nostra ui sua plane eneruemus.

## THES. VII.

*Ad morbos  
speciales  
directa.*

Nemo satis, inquam, admirari potest sapientiam et prouidentiam diuinam, utpote in infirmitates nostras clementissimam, quae non uno forte, uires labascentes nostras reficiente, quodam remedio nobis auxilio uenit, sed analepticis et confortantibus tam multis, ut ad causas diuersissimas morborum, prudens minister naturae eas satis abunde eligere et applicare queat. Quid? quod omnia iuuantia certo respectu in  
Medi-



Medicina Analeptica nobis audire non diffiteamur; etiam alterantia et temperantia, sed iusta methodo applicata, multis in morbis Analeptica nostra uocamus, et in morbis acutis solum Nitrum depuratum et medicamenta nitrata, e. g. Puluerem alterantem *Excellentissimi* D. D. CHRIST. VATERI, Patroni atque Fautoris mei ualde colendi, nec non Puluerem antispasmodicum laudati STAHLII optimis aliis cardiacis Tincturis et Esfentiis, omnibus balsamicis tam inquam ex-ternis, multis praeferimus parasangis. Peritis Practicis notum est, quod longe securius, longe citius atque feliciter aegroti sub et ab usu temperantium, quam confortantium proprie sic dictorum his in casibus ad se redeant; imo iisdem cum tonicis coniunctis iussu STAHLII subinde etiam usi sumus in paraliticis adeo morbis, ubi tamen apprimè defectus motuum uitalium accusatur et plurimum negotii facescit. Notatu itaque in Praxi dignissimum est, quod ratione causarum tam diuersarum conueniant quoque analeptica remedia diuersissima, et quidem modo uolatilia, modo fixa, uel mixta, calida uel frigida, acida, alcalica, aquea, gelatinosa, adstringentia uel resolutentia, imo anodyna etiam et opiata. Vocantur remedia illa, siue generaliter analeptica, confortantia, roborantia, resectoria, uel specialiter cordialia, cephalica uel neruina etc. De qua re nunc paulo strictius mentem nostram in sequentibus explicamus.

## THES. VIII.

Ante autem quam medicamenta ad resarciendas *Analeptica* uires idonea disquiramus, non abs re erit de subitaneo *quomodo* Analepticorum remediorum ad sanguinem et reliquos *tam cito* succos transitu, pauca etiam proferre, quomodo nempe

pe fiat, quod a quibusdam rebus selectis, homines infirmi tam cito refici possint? cum tamen multi Physiologorum nullum, extra longum illum cursum omnisi rei confortantis, una cum chylo ex intestinis per uenas lacteas, ductum thoracicum, uenam subclauiam, uenam cauam, transitum in cor admittant. Nos uero, quod nostrarum est partium, hac eadem ex causa quaestionem hanc formamus, ut et nostro calculo obfirmare possimus aliorum potius sententiam, quae et chyli aliquam portionem in uenas meseraicas recipi, sicque ad hepar et cor citissime ferri edicit; sicuti enim tale quid certissime cum analepticis fit, quia illa semper sunt purissima, tenerrima, spirituosa, et quaqua uersum penetrare queunt, imo quia alias nullo modo tam subitanea refocillatione aegri alacriores redderentur: ita sequitur sua sponte nec chylo etiam, praeter cognitatas communesque uias in sanguinem, incognitas alias quoque abiudicandas esse; etiamsi tales sensibus haecenus peruestigari non potuerint, quia inspectio Anatomica ad omnes in corpore humano meatus detegendos uix nobis sufficere uidetur. Imo a confortantibus inprimis uolatilibus iam tum in naribus, faucibus, ipsis pulmonibus et uentriculo, particulae subtiliores in sanguinem penetrant, eius motum languescentem in uasis extremis promouent, extremitates neruorum grate afficiendo, tonum generis neruosi roborant. Accedit, quod sensus uitalis corporis nostri Praeses mox apprehendat et gaudeat de oblato ipsi e longinquo tantum, ast grato ac appropriato medicamento quocumque, id quod iam primus gradus est reconualescentiae felicioris.

THES.

## THES. IX.

Remedia quidem, quae in censum Analepticorum uocari solent, uarii generis sunt, necessarium tamen est, ut his in paginis certum eorum ordinem seruemus, et in commendatione eorum, oculum semper ad synergiam naturae siue habitum ad morbos dirigamus. Sic v. g. probe attendendum est, quando ad Analepsin conciliandam uolatilia resoluentia, et quidem sulphureo-balsamica adportemus; haec enim medicamenta materialitatem sanguinis pinguem adaugent, resoluunt, attenuant et ita uires celerrime instaurant. Quia uero sub eadem resolutoria attenuatione humorum, sanguis non modo saepissime in orgasticam commotionem deducitur, sed etiam se- et excretionem, ceu praecipuum sanitatis conseruandae ac reparandae fundamentum, placide potius promouendae, feroci nimis stimulo praecipitantur, hisce remediis nunquam promiscue fides est habenda. Cautissime potius cum sulphureis calidisque remediis procedendum, et hoc eo magis semper obseruandum est, quo illa uolatilia et penetrantiora sunt, ut olea destillata, uarii spiritus et essentiae sulphureae. Hinc etiam longe frequentior usus eorum externus, quam internus toto die a nobis obseruatur; in contusionibus partium neruofarum ac tendinosarum, in tumoribus partium glandulosarum, et frigidis in genere, ubi illa ad nouum robur reuocandum insigniter conducunt. Sic u. g. praeunte B. WEDELIO in eiusmodi casibus laudabili admodum cum effectu balsamum quendam uulnerarium ex Oleo Tartari foetido et Balsamo Peruuiano, partibus anaticae mixtis applicamus. Porro de nihilo non sunt, quae ex sulphureis uolatilibus, balsamicis in forma quacunque

C

que

que ad pulsus, cor, tempora et nares applicantur; ubi tamen commodius liquida prae siccis ordinantur. Quod uero omnia, quae exterius in poros ad spirituosas corporis partes rescificandas et solidas roborandas admittuntur, summe subtilia et penetrantia esse debeant, quis est, qui negat? Ecquis uero prudens harum rerum aestimator, ea interne indiscriminatim adhibere posse, non erubescet dicere? At enim de genuino et uero usu sulphureorum summo cum gaudio et animi oblectatione sequentia quoque tradimus, ea in morbis haud paucis nos uix deserere, ut potius iusto tempore, in conueniente forma et dosi applicata, ad Analepsin aegrotantibus nostris exoptato conciliandam, sint apta. His enim sulphureo-balsamicis naturam iuuamus, et sic energiam animae reuocamus, quia his humores spissescentes attenuantur, partes solidae absterguntur, et stasis sanguinis tollitur, ferositates abundantes per resolutionem et excretionem diaphoreticam diureticamque consumuntur. Resoluentia sulphureo-uolatilia balsamica sic rationaliter ab omnibus Practicis motuum uitalium defectui generaliter merito opponuntur, uelut in tremore artuum, in paralyfi et hemiplexia, in apoplexia, catarrho suffocatio, in adfectibus soporosis, lipothymicis et syncopticis, in memoriae debilitate et melancholia &c. In quibus certe casibus, si cum grano salis practici applicantur, haud contemnendam utilitatem eorum inuenies. De Spiritu Vini annotamus, quod quidem maximam partem ex acido uolatilissimo uegetabili constet, quia uero cum terra etiam inflammabili subtilissima intime est mixtus, non minus ex hoc rarefaciente principio, quam ex coagulante acido agit.

Sicque

Sicque disceptationes, de modo eius operandi, optime dirimi posse autumamus, si stypticam et coagulantem eius uirtutem in haemorrhagiis (quae omnino in talibus casibus admodum excellens est) non ab acido solo, sed etiam a sulphureo - balsamico principio simul deducimus; hoc posterius quo magis exaltatum est, (ut in Spiritu Vini rectificatissimo sane se res habet) eo fortius tonum roborat, et in momento uelut ossiola exilissima arteriarum atque uenarum tenerissimam fibrillarum texturam contrahendo, cito consolidat: accedit, quod humor humori extra corpus additus longe aliam mixtionem cum illo ineat, quam intro assumptus, ubi omnia inter ius calore quasi iam feruent. Insigni omnino efficaciam roborandi, resoluendi, discutiendi et excitandi Spiritus Vini pollet, qua etiam cuncta Extracta sua, Essentias, Tincturas, Aquas cephalico - apoplecticas ad operationes suas quasi animat, ac uires earum ad usum tam in- quam ex- ternum adauget. Quorumcunque igitur natura ob multam praesentem pituitam indigestam, ob difficilem concoctionis progressum, ob intestinorum atoniam et inde dependentes cruditates, uermium progenesin, flatulentiam colicam, cachexiam, uel ob aetatis et temperamenti phlegmatici rationem deficere uult, iis omnibus Spiritus Vini et frumentorum modice sumti pro optimo confortante esse possunt.

## THES. X.

Pergimus ad uolatilia urinosam, quae licet aequè *Quandò*  
ac medicamenta sulphurea oleosis et spirituosis prin- *uolatilia*  
*urinosam?*  
cipiis

cipiis gaudeant, et hinc satis potenter operentur; nunquam tamen tantam, quantam ista expansionem sanguini inferunt, sed absque orgasmo sanguinem reliquosque humores stagnantes mouent atque in circulum redigunt. Quapropter utiliter exhibentur, si praecipue cum Tincturis alcalinis miscentur et temperantur, in motibus dolorifico-spasticis, nimirum in cephalalgia diuturna, uertigine, tremoribus artuum, paralyfi, item in motibus arthriticis, colicis, hypochondriacis, hysteris, nec non in adfectibus mucosofabulosis, renalibus absterfionem mucositatis promouent atque absoluunt. Haec tamen circa usum uolatilium urinosorum monemus, quod non in incremento et statu commemoratarum passionum, sed sub initium potius et finem eorum sint adhibenda: In febribus acutis inflammatoriis, actualibus haemorrhagiis, aliisque a plethora exortis pathematibus, Venae sectione nondum praemissa, uolatilia haec plane dissuademus. Ceterum mira res est, quod non solum uolatilia urinosa, quae in genere odorem ingratum nauosum empyreumaticum penetrantem spargunt, naturae tamen nostrae tam amicae sint, sed et quod peculiari habitu et idiosyncrasia, omnium maxime hystericae foeminae ex aliis odiosissimis foetidis exhalationibus et graeolentibus rebus, u. g. ex fumo pennarum, unguarum animantium et uestimentorum accensorum; item ex odoramento Salis Volatilis Cornu Cerui, Salis Ammoniaci, Camphorae, Castorei, Aesae foetidae; quid? quod ex applicatione stercoris uaccini et suilli ad nares, sentiant adeo non raro optimam uirium restorationem. Exemplo esse possunt permultae foeminae suffocatione et epilepsia uterina  
 labo-

laborantes, quae a suaevolentibus potius mali incrementum, a graueolentibus autem et stercore ipso leuamen sentiunt, cuiusmodi ridiculum prorsus exemplum in WEISBACHIO p. 158. a quolibet legi potest.

## THES. XI.

Naturae humanae errores, eiusque motuum uel <sup>Quando</sup> excessus uel defectus indicans sunt, cui indicationem <sup>acida?</sup> Analepticos rationalis nostrae opponimus. Haec uitia uero τ̃ agentis in nobis a causa quadam materiali, principium certe eorum si retro inspicimus, subinde deriuanda sunt; et hinc quibus Practicus uere practice aget, si causis istis materialibus siue proximis siue longissime remotis obuiam ibit. Nemo igitur cum plures una sint causae morborum, in eo nobis contrarius erit, quod plura quoque remediorum genera in discursu de Analepticos nostro allegemus, et acida, subacida ceu talia, commendemus. Asserta nostra exemplis ex historia practica illustramus et ad febrium acutarum, malignarum, pestis aliarumque exanthematicarum curas et obseruationes prouocamus. In illis enim operam optumam prae reliquis omnibus cardiacis et confortantibus acida nauant. Acida quidem ex regno minerali deprompta fixiora et caustica sunt, humoresque magis coagulant, uasaeque constringunt, unde cautius cum iisdem mercandum. Spiritus Nitri, qui alias ob causticam naturam ab usu interno plane abest, ita cum Spiritu Vini temperatus et dulcificatus potentissimum carminatiuum et diureticum medicamentum est, sed minus recte temperatus, aut intempestiue adhibitus, diuresin nimiam excitare renibusque nocere potest. Acidum Vitri-

li. Salis ac Sulphuris praeprimis ad temperationem sanguinis biliosi, feri acris, optime faciunt, et contra nimios aestus febricitantium toto die usurpantur. Subiectis spongiosis plethoricis scopo diuretico-temperante inter iulapia analeptica clyssum antimonii ordinamus. Sed acida uegetabilia prae omnibus gratiora sunt, inter quae praecipuum locum occupat succus citri. Hac in re stant etiam a partibus nostris quam plurimi Medicorum, ex quorum medio duos tantum nominabo, primum iam laudatum CARLIVM INT PEST. ENGEL. p. 27. alterum D. D. GEORG. CHRISTIAN. MEYDERVM Consiliarium et Archiatrum Serenissimi Ducis Saxoniae, qui expressis uerbis in pereleganti *Tractatu suo de Comagiis p. 56.* ita loquitur: *optato certe semper successu, et magno aegrotantium solatio, rum acido citri et uirriolico, colliquatiuis exagitatae bilis et ueneni contagiosi uiribus obuiam iuimus; scientes, acida sparsos per ignitum circulum humores colligere, disflatumque in uapores serum, corroboratis simul partibus internis, ad corporis peripheriam guttatim sistere: &c.* Acida igitur uegetabilium longe praeferimus et experientia indubitata edocti uere asseuerare possumus; ea mucum sulphureis apospasmatibus impraegnatum orificia uentriculi ualde rodentem digerere, bilem in febribus biliosis cicurare, materiam malignam incrassare et ad eliminationem praeparare, aestum temperare, colatoria subadstringere, urinam positine et sudorem priuatiue promouere. Imo ad putredinem inhibendam acida sunt optima, id quod uel ex sola obseruatione coquarum notandum, quae carnem, cerasa et reliqua uegetabilium aceto condita latis diu sine ulla corruptione asseruant. Notum erat hoc dudum Medicis



dicis priscis, qui ideo salibus essentialibus ex herbis acido-salsis acetosae, acetosellae, praeparatis ad utilitatem temperatoriam analepticam in aestuosis sanguinis commotionibus et acris congestionibus usi sunt. Acidum citri tamen inter omnia caput effert, praecipue si cum abstergentibus saccharo uel absorbente quodam combinatur. Et acido uini laus sua manet. Quid? quod ex communissimis acidis remediis analepticis admirandam sapientiam Dei ita cognouimus, ut uniuersi uelut humani generis salutem in illis medice pariter ac theologice in cruce ( quae  $\dagger$  acidum Medicis significat ) generaliter latere statuere-  
mus; quodsi enim omnes homines et cunctorum eorum morbos rursus secundum temperamenta diuidimus, sanguineis, cholericis subiectis calidioribus acida qua talia, phlegmaticis uero et melancholicis subiectis frigidioribus acida uolatilisata sulphurea in hac thesi recensita, generaliter a Deo dicata esse obseruamus. Imo quod et externe acida, u. g. acetum simplex, rutaceum, liliorum conuallium, in subitaneo uirium collapsu conducat, notamus.

## THES. XII.

An aquae etiam et qualia ad Analepsin rationalem quadrent? in hac thesi disquisitioni medicae <sup>Quando aquae?</sup> subiiciemus. In initio uero huius docimasticae quaestionis ad lapidem lydium uerae Pathologiae statim confugimus, et ex ea eruimus, quod multi iique haud leuissimi morbi non solum a spissescencia sanguinis ortum ducant, quae aqueam dilutionem et fluidificationem subinde efflagitant, sed et quod totidem fere mala ex difficili digestionem ciborum exsurgant, quae saepissi-

saepissime sola additione fluidorum adiuuatur; nam ad fermentescentem resolutionem rerum quarumcunque menstruo sufficienti aquoso opus est. Imo, si errores ratione excessuum naturae in motibus suis consideramus; non immerito exclusis spirituosis et uolatilibus concludimus, aquea ad temperandos illos et aestus in febribus quibuscunque, in haemorrhagiis, anxietatibus, pulsû frequenti, uirium debilitate, in colica sanguinea et biliosa, doloribus arthritico-spasticis, in lipothymia a nimia sanguinis resolutione et nimia sudoris profusione, in pollutione nocturna, in crapula &c. conducere debere. Recte G. W. WEDELIVS in *Amoenit. Mat. Med. p. m. 153.* Nunquam, ait: *Spiritus nimis intendendi. Arcus nimis tensus facite rumpitur, spiritus nimis intensi eccentricitatem patiuntur. Freno egent et stimulo; Ita ergo semper stimulandi, ut refrenari queant, et contra. Laxari et intendi uolunt.* Inde etiam nos transitum a spirituosis ad aquosa facimus, scientes ad sanguinis laudabilis constitutionem aquosas requiri quoque particulas. Anima seu mens nostra ex sola frustratione appetitus bibendi saepe aegrotat, ut in omnibus ualde sitientibus uidentum. Quid ergo hic melius? quam potulentis, aquosis, refrigerantibus appetitum et defectum huncce explere; quid etiam supposita fibrillarum uentriculi mechanice dispositarum titillatione ad sitim explicandam, eam melius extinguit et stimulo huic naturali satisfacit, quam diæta fibrillas easdem relaxantia et acidum uentriculi diluentia atque eneruantia aquosa? simplicissimum aquae porum non minus sani ad sanitatem tuendam, ac infirmi adeo in morbis chronicis atque acutis cum euphoria ferunt: celerrime enim per uiscera

uiscera et uasa transit, raro nisi abusiue assumpta uentriculum praegrauat, nullas turbas in abdomine excitat, urinam et sudorem quin imo et sedes promouet, gustum nunquam laedit, nec unquam erroneum et falsum inuitat appetitum bibendi : uerbo, aqua plurimis prodest, paucissimi et summe delicatuli tantum ab illa abhorrent. Nouimus nos Virum quendam 36. ann. cholericum, Pastoris animarum munus fidelissime obeuntem Amicum sincerum, quem DEVS intra aliquot annos haemoptysi periculosissima bis in lecto detinuit. Is sane ex leuissima causa siue morali siue physica in tantas commotiones sanguinis confestim deuenit, ut, licet Christiano more serio semper repugnaret, illas neuiquam tamen plane euitare posset, sed ad lipothymias usque aliquoties iam tales insultus experiretur. Consuluit idcirco Medicos, qui optima temperantia ordinabant; ast sine sperato effectu usque dum commendationi Stoellerianae (ex cuius Praxi haec ipsa etiam nobis annotauimus) obtemperaret, et in offendiculum multorum ex familia atque uicinitate sua, loco cereuisiae, spirituosorum, ciborum fortiter nutrientium, aromatizatorum, simplicissimum uegetabilium uictum et puram putam aquam fontanam nec non infusum Thee pro potu ordinario sibi eligeret, obseruatis quoque obseruandis de corporis voluntario motu; et ex eo certe tempore per DEI gratiam non solum ab antiquo hoste periculum semper minitante liber mansit, sed haecenus se maius ac securius robur in aqua, quam in cereuisia et spirituosis inuenisse et uerbis et re ipsa etiamnum testatur. Vti itaque ex corpulentia nemo sanus iudicandus, sic etiam uerissimum est paradoxon nostrum, multos sub collectione ac usu

D

nutri-

nutrimentorum optimae bonitatis et talium etiam remedium analepticorum, nihilominus tamen experiri, quod vires maximam partem tunc temporis in ipsis cadant. Quare maiori iure laudamus ad affectus in hac thesi recensitos impetrandos potum aqueum, aquas destillatas C. B. galeg. plantag. scabiol. scord. fl. til. borrag. buglossi. ccerasor. nigror. namph. &c. aquam destillatam ueronicae uinosam specificè commendamus ad tonum pulmonum roborandum. Porro ad analepticorum aqueorum censum referimus omnes herbulas et radices dieteticas teneras, fructus horaeos et exsiccatos; cereuisiam, cuius tot ferme differentiae sunt, quam loci distincti numerantur: commendamus uero aegrotantibus nostris talem potissimum, quae ex hordeo cum paucis lupulo parata, probe fermentata, tenuis, nec acida, nec etiam admodum recens est. Orientales calidi potus aquosi, Thee, Coffee nostris etiam corruptis moribus et regionibus hodie ualde usuales, sine ullo omnino dubio in morbis quibusuis, certe qui ab animi pathematibus plerumque suscitantur, analepticorum optimorum instar esse possent; quia uero natura ipsis quotidiano usu iam adhaesita est, iam operatio eorum fere nulla. Lac secundum uarias species suas et experientiae et rationis suffragio assumptum cupientes aegros ualde etiam recreat, ac medicinae uelut analepticae pars ad rationalem hanc aquosorum tractationem spectat. Constat enim lac praeter butyrosam pinguem materiam et terrestrem caseosam, maximam partem ex particulis aqueis subtilibus, quae ferum audiunt, et sale quodam dulci blando abstergente. uid. secundum specialissimas de lacte obseruationes *Excellentissimi D. D. CHRISTIANI VATERI dissertatio de aegris*

*aegris phthificis et tabidis recte indicandis et curandis Thes. 24.*  
 Hinc in morbis, ubi acrimonia, ardores, spasmi occurrunt, lac lenit, relaxat, lubricat; in infantia et uirium laboriosa et morbifica consumptione nutrimentum confortans praebet: in casu denique assumti ueneni mineralis uel mortiferi cuiusdam emetici antidoti sustinet uices. Secundum *Illustris FRIDER. HOFFMANNI dissertationem de connubio aquarum mineralium cum lacte longe saluberrimo*, lac inprimis asininum diuinam opem misere aegrotantibus reuera promittit. *uid. praef. citat. dissert.* Cauendum saltem ne lac asininum ut reliquae lactis species hypochondriacis, cachecticis, obstructione uiscerum laborantibus, in quibus acidum maxime peccat, commendetur, ubi plus nocet, quam prodest, de quo Excellentissimus DN. PRAESES Patronus atque Promotor maximopere colendus nuper insignem casum in Viro nobili obseruauit, in quo ad tussim a uitio pulmonis, uti uidebatur, excitatam, leniendam lac asininum commendatum obstructionem alui contumacissimam, tumorem pedum cedematosum et febre lentam cachecticam excitauit, tussi nequaquam cedente, potius aucta.

## THES. XIII.

Ad aqueam prosapiam pertinent etiam acidulae, Aquea salibus impraegnata quando?  
 thermac, salina et terrea nitrata in aquis soluta, de quibus omnibus paucissime seorsum nunc agemus.  
 Acidulae et thermac, uti ratione principiorum constituti uorum conueniunt, ita etiam ad usum medicum conspirant; utraeque enim non principio acido qua tali, sed alcalino subtilissimo terreo salino constant, et hinc mucum ac cruditates primarum uiarum resoluunt, In specie Acidulae et thermac.  
 D 2 abster-

abstergunt, eliquant, sanguinis uisciditatem tollunt, ferum per urinam et sudores eliminant, laxas et debiles partes roborant, imo, si ab elemento quodam spirituoso martiali uel uirriolico insuper aliquid participant, excretionem quasuis promouent et partibus solidis eo penetrantius pristinum robur conciliant, sicque contractura et uera partium externarum atonia laborantibus, hypochondriacis, cachecticis, obesibus, sterilibus egregio sunt usui. Si loco potus ordinarii bibuntur, caeteris paribus quam maxime ad ipsam longaeuitatem conferunt. Ex praecedentibus de acidularum et thermarum usu medico roborante commonefactis, iam facillime etiam cognoscere et determinare possumus, quam magna salibus in genere uirtus medica insit, siquidem fontes isti omnem, quam praestant salubritatem a salibus specificis habent, exemplo salis Egrani, Ebshamensis, Sedlicensis, Embensis, quae cuncta in aqua simplici rursus soluta et liquata ipsarum aquarum suarum efficacia pollent. Sed de Salibus, licet non cum ueteribus Artibus, *in Sale et Sole esse omnia*, dicamus, in specie tamen a priori et posteriori ibimus demonstratum, quod latissimum in Medicina ex sensu nostro analeptico rationali eorundem pateat usus. Quem quaeso inter Chymiae adeo tyrones fugit, falsia interitum atque corruptionem non experiri? ultimum sane omnium reorum creatarum productum analysis chymica sistit salinum, ut synthesis talis ex aqua et terra falsia fieri posse docet; ex qua principiorum, specie tantum diuersorum, duorum praesentia et unione, prompta et facilis illa complicabilitas cum mixtione animali, efficaciter in corpore nostro correctiones humorum et

uia-

*Salium uirtus in Analepsi.*

uiarum adiuuans, dependet. Et hac uia naturae optumam semper operam nauabimus, quia salia ipsi summe grata atque amica sunt. Non defuerunt equidem, qui salia acrimoniae nociuae neruis et partibus tenerioribus insimularunt, sed contra omnem ueritatem. Etenim uirium energia mediantibus salibus ita semper promouetur, ut temperando et roborando illas uelut medium inter sulphurea spirituosa, et terreo-aquoso-aborbentia locum occupans, motus pulsus et toni aequilibrium conseruent restituantque. Nimis longum foret, si usum salium singulorum plane singularem et habitum illorum ad analepsin rationalem seorsim explicare uellemus: hinc generaliter acquisimus in eo, quod Salia aeternitatis illud symbolum, ratione materialium in oeconomia uitali obuientium uitiorum, materiam mucidam tenacem incidant, resoluant, mobilem reddant, acrimoniam bilis obtundant et ardores urinae consopiant, ubique humores stagnantes abstergant, eliquent et attenuent, ratione motuum uero colatoria quaeuis aperiant, abstergant, stimulent et ita Naturae ob impedimenta et effectus tales iam praesentes deficere uolenti, miram opem praestent. Ex quibus certo apparet, neminem Medicorum in reparanda aegrotantium sanitate salinis carere posse, u. g. Tartaro Vitriolato, Arcano duplicato, Nitro Antimoniato, Sale culinari, marino, Ammoniaco, Terra foliata Tartari, Sale Tartari, Cineribus clauellatis, quae in Tincturis Chymicorum plerisque primum et ultimum sunt elementum. Salino-acidorum iam *ibesi XI.* mentionem fecimus. Nitrum uero quod intellectum et admirationem nostram omnem ui egregii usus sui confortantis ac polychrestri transcen-

*Terra an  
et quando  
Analeptica.*

transcendit, salium cunctorum uocamus Coryphaeum; certe huius usus si nobis interdiceretur, Medicum nos esse nolle meliori iure profiteamur, quam Syluius de opio salua conscientia id dicere potuit. Sed restat, ut de terreis ad scopum nostrum pertinentibus etiam quaedam addamus; de his ostraceis quidem notum est, alcalinae illas esse naturae, et perpetuo cum acidis inire certamen. Fit inde, ut etiam in oeconomia uitali acidum ubicunque obuium obtundant, falsedinem ferosam imbibant, lympham corrigant, sanguinem uolatilem fixum reddant, imo praecipitando impuritates humorum se-et-ex-cretoriis motibus naturae subsidio sint insigni. Et ita remedii analeptici, priuatiue agentis nomen, in omnibus morbis ex causis modo allegatis uenientibus, iisdem merito tribuitur. Vsu se imprimis commendant nutricibus atque infantibus, in quibus maxima lucta naturae cum aciditate humorum semper obseruatur. In omni febrium specie quid ualeant absorbentia cum acido certe uegetabili quodam semifaturata, neminem credo ex Practicis nescire.

THES. XIV.

*Quando ge-  
latinosa*

Ex physiologicis constat, Naturam utpote semper actiuam ad promptissimam uoluntatis suae executionem, organa et partes summe flexiles tenerasque requirere, quae certe non ex miscela terrea admodum firma, nec spirituosa ualde uolatili et exarescente, nec etiam ex aquosa omnis consistentiae experte oriuntur; sed de mucilaginoso oleoso-terrestri substantia de die in diem participare uolunt. Bono itaque omine prudens minister Naturae legitimo usu eupepto.



eupeptorum, iusculorum, carniū, gelatarum, emulsionum, Prisanarum non ex inedia diuturna tantum languentibus, sed etiam phthificis, hecticis, marasmo et febribus lentis tabescentibus, atrophicis, a spasticis pathematibus diu uexatis, ut et ex salinacri humorum corruptione laborantibus succurrit. Lac, quod supra iam attigimus, huc etiam ex parte spectat; nam et per se et in connubio aliorum potuum oeconomiae nostrae id abunde subministrat, quod sub continuo motu intestino, progressiuo atque locali partibus fluidis ac solidis decedit. Sic e. g. Choccolada decantatum illud potus exotici genus, quod cum lacte paratur, vires vere amissas notabiliter instaurat: quod praeparationem et ingredientia illius attinet iam breuitatis ergo tacemus; quoad usum uero, is in eo consistit, quod ad roborandam massam sanguineam eiusque uim, et succum eiusdem nutritium deperditum restituendum, prostratos a nimio Veneris exercitio spiritus restaurandos maxime iuuet, eodem tamen tempore stomachum mire confortet, adeo ut Ambrosiae nomen mereatur: BAGLIVIO etiam attestante. Virtute porro nutriendi, demulcendi, temperandi et analepsi, ubi ea tali modo opus est, promouendi, subiecta quam plurima ex regno uegetabili praedita sunt. E. g. fruges omnes, e quibus panis et cereuisia parari possunt: nam in pane uis omnis confortans per singularem benedictionem diuinam concentrata quasi haeret; siquidem in aegrotis quibusuis annotamus, eos omnium ultimo panem respuere, sanitati uero restituti primum rursus appetere atque sine molestia ferre. Inest etiam analeptico-mucilaginoso-pinguis nutriens mixtura

tura oleribus uariis, radicibus et uariis fructibus succulentis, nucibus, amygdalis, et aliis ex locis uenientibus nucleis pinearum atque pistaciarum: ex his emulsiões paratae in omnibus supra dictis passionibus, imprimis, si regionem pectoralem uel renes simul affligunt, ut fit in tussi, althmate, febre phtifica, pleuritide, (ubi specificè semen Cardui Mariae commendatur) in calculo, ardore urinae atque doloribus post foetum exclusum, magno simul praesidio sunt. Item in dolorifico illo malo sòda dicto amygdalae aliquot decorticatae atque comestae, ut et filiqua dulcis praesentissimas inducias praestant. Dulcia in genere leniendo et inuoluendo mucilagine sua materiam acrem peccantem, naturae ferociam domant, et dum eandem materiam simul ad excretionem disponunt, non plane infructuosa, sed si opportune et moderate adhibentur, ob saporem gratissimum uices Analepticorum quoque sustinent. Ob largum substantiae mucilaginosae atque pinguis prouentum, ex animalium partibus inter analeptica in morbis hac thesi recensitis non minus stant carnes quadrupèdum, auium et piscium; sed minime tam cito ac tuto uires exhaustas resarciunt, quam iuscula gelatinoso-nutrientia ex carne, capite, ossibus et pedibus eorundem, ita ex semine hordei, milii, auenae, fegopyri, oryzae parata, &c. Spectant huc etiam gelatinae e cornubus nonnullorum animalium, e. g. Cornu Cerui et Eboris. Non possum non quin ex NENTERO elegantem in hilce casibus formulam commendem analepticam sequentem: *R. Rasur. C. C. uel ebor ꝑiv. Coq. in Aq. simpl. q. s. ad consistentiam gelatinae, filtra, liquorem per filtrum traiectum calide postmodum cum amygdal.*

*amygdal. dulc. excori.* *ʒiv.* contunde et denuo filtra, sic habebis gelatinam elegantissimi pro lubitu et ad gratiam coloris, egregii saporis, et uirium optimarum. Quam, si medicamentosam magis desideremus, pro circumstantiarum ratione uel succo citri temperatiorem, uel uariis aromatibus suauiore, uel roborationi uirium conuenientibus aliis speciebus, u. g. Confectione Alkermes, penetrantiorem reddere possumus. Vti hoc ipsum etiam fieri potest cum Ptisanis, u. g. ex Cassia lignea, Polypodio, Radice Chinae, Sarsaparilla, semine foeniculi, in aqua simplici, uel hordei excocti particulis iam praedita, noua coctione paratis; quae ferme quam maxime ad sanitatem faciunt, exemplo Illustriss. cuiusdam et summe Reuerendiss. Principis annor. 70 nobis noti, qui optumas horum uitae subsidiorum uirtutes in se etiamnum experitur, et cuius ergo nos etiam ardentem a DEO precamur, ut omnia assumenda huic Illustriss. ac longiori uita dignissimae Personae analepticorum et confortantium instar esse iubeat! Ad analeptica gelatinosa nutrientia et acredinem morbosam temperantia, nec non sale uolatili tenuiori resoluentia et confortantia referri quoque debent Viperae, quae in substantia uel in decocto cum carne gallinarum uel uitulina assumtae egregie haecicis, scorbuticis, cholericis prodesse obseruantur.

## THES. XV.

Mirabitur forte quis, si opium et ex eo parata <sup>Opiata an et quando analeptica?</sup> remedia quoque inter analeptica a nobis referri uiderit, quae infidi adeo usus sunt, ut omnes Practici unanimi consensu ab iis sibi cauendum esse suadeant, ubicunque  
E debi-

debilitas et lapsus uirium obseruatur. Alii Medicorum opiata ex foro medico prorsus proscibenda esse publice profitentur rationibus sane haud reiiciendis sententiam suam roborantes; nam se-et ex-cretiones suppressere dicunt. Alii non adeo dure loquentes in scriptis suis opii probe correcti usum in parca dosi quidem commendant; in Praxi autem propria eidem ne minimam fidem habent. In nouissimis Medicorum communicatis dem *Aufrichtigen Medico No. 14. p. 55.* ad Auctorem Medicum Norimbergensem Anonymum sequentes de opio leguntur datae quaestiones: Hat das *Opium* eigentlich einen Gift in sich / wie einige wollen / andere dagegen es verneinen; oder nicht? Und / so dieses ist / wie kan es bestermassen davon gereinigt werden? Ich weiß wohl / daß ihm insgemein eine Thummachende Kraft zugeschrieben wird; indessen bin ich doch dem *Opio* ingeheim noch immer gewogen / und so ich ein *Medicus* wäre / könnte ich mich kaum entbrechen / es hie und da zu appliciren / und solten auch die *Patienten* darüber zu Tode schlaffen; so kämen sie doch der Schmerzen loß. &c. Hoc quidem consilium minime nobis probatur, quia occiderent bona, opiata tamen propterea nullo modo sunt damnanda, modo rite iuxta indicationes applicentur. Ab iis enim refectio uirium expectari potest, ubi a doloribus nimis, uigiliis diuturnis, euacuationibus enormibus sanguinis, sudoris, uomitibus atque deiectionibus aluinis uires profligatae sunt. Certe Pilularum de cynoglossa Wildegansii et Starckianarum, nec non Theriacae coelestis effectus insignis obseruatur in casibus citatis, in quibus, materia rite prae-

praeparata eliminataque, ad sedandos illos parca in  
dosi maximum solamen aegris afferunt. Praeterea  
alius cautelae eos, qui opio utuntur, meminisse etiam  
non poenitebit, quod, opiata uel cum analeptics spi-  
rituosus uel terreis absorbentibus et resoluentibus sem-  
per sint commiscenda. Vi principii sulphureo - sali  
ni crudi Tabacus cum opio quoque conspirat; et hoc  
non minus quam Nicotiana crebriore usu ac consue-  
tudine denique abeunt in remedium, quod non so-  
lum natura impune fert, sed quod etiam tempus, in-  
commoda aëris et coeli, nec non multa mala tabaco  
et opiophilis tolerabiliora facit. Pariter se res cum  
errhinis et Pulueribus sternutatoriis habet, qui pari-  
ter naribus recepti stimulando papillas neruosas mo-  
tum languescentem in lipothymia, apoplexia, passio-  
nibus hystericis restaurant, partum et excretionem  
secundinarum promouent. Admirari sane saepe so-  
lemus hominum tam infimae sortis quam eminentio-  
ris conditionis mores, quippe qui ferme omnes sine  
allegatis hisce confortantibus et refectoriis uix uiuere  
posse putant; imo qui per diem uel septimanam  
tantum ex usu illorum intermisso subito graues capitis  
et dentium dolores, pectoris angustias, cardialgiam,  
appetitus prostrationem, agrypniam et taedium ad om-  
nes actiones suas experiuntur. Exemplum singu-  
lare Excellentissimo DN. PRAESIDI notum est, nem-  
pe uerbi diuini Ministri, qui fumo Tabaci assuetus,  
in gratiam sponsae ab eo abstinuit, sed mox in mor-  
bum grauem cum lipothymiis aliisque symptomati-  
bus coniunctum incidit, a quo nullis aliis remediis,  
nisi fumo Tabaci, consilio Medici applicato libera-  
tus fuit, donec successu temporis eius usum neglexit.

*Nicotiana  
an inter a-  
naleptica  
numeran-  
da?*

Ex quibus cunctis quilibet Practicus uidebit consuetudini subinde aliquid in hisce casibus tribuere, esse rationaliter Praxin suam exercere, et neque analeptica neque methodum a nobis commendatam omnia semper ualere, sed multoties ea tantum uires roborare, quae sibi quisque pro lubitu suo delegit.

## THESES. XVI.

*Qualia analeptica in uirium omissione.*

*In specie in Plethora.*

*Vene sectio.*

Ne autem quid in dissertatione nostra desit, plurimis, ni fallimur, quae uirium tam amissarum quam omissarum rationalem restitutionem expediunt, in antecedentibus nonnullis Thesisibus expositis, ea nunc in specie quae praeter antea dicta uires omissas seu tantum suppressas maximam partem instaurare queunt, in sequentibus paucissime trademus. Plethoram feracem illam matrem esse, quae plurimos morbos parit etiam inter semidoctos constat. Nam sanguinis circulationi impedimenta et motibus uitalibus multum semper negotii ea facit: impedit se et excretiones, ac mixtionem humorum haud leuiter corrumpit, donec plane sensim sensimque partibus solidis etiam atque uisceribus internis labes irreuocabilis superinducatur. Haecce dein uitia multiplicia natura quidem uariis motibus rursus corrigere atque tollere intendit, quod experientia toto die comprobat; ast, quia Natura plerumque, sine sanguinis superflui siue naturali siue artificiali imminutione, frustra laborat, et opus autocraticum suum molitur, quid mirum, si ultimum denique conamen motuum suscipit, conuulsiones et febres acutissimas instituendo; uel, si de saluando corpore desperat, in motibus adeo necessariis plane deficit? Ex intaminatis Praxeos monumentis haec

haec omnia fluunt, cum scil. in circumstantiis morborum saepe satis intricatis, et ubi ab agnatis et multis adeo Medicis uirium iactura materialis uera accusabatur, nos contra plethoram uel simplicem, uel cum alio morbo complicatam, ceu causam proximam affectuum talium obseruauimus, ac illi cura nostra obuiam euntes in fine tandem non semel etiam felices facti fuimus, dum sanguinis missionibus aegrotantes opinione citius ad se rursus reuocaremus. Nemo enim salua ueritate contradicet, naturam sanguinis subtractione loco analepticorum ad motus suos iuste promouendos, interdum quoque excitari posse, si nempe plethora in culpa est, quod illos deserere seu omittere uelit. Quod autem sub motibus uariis spasticis cum plethora ut plurimum complicatis Natura tandem pertaesa fiat, et motuum uitalium defectus tale initium habeant, praeter alios *Clarissimus D. D. LVNCKER in Consp. Medic. Tab. CXIII.* a partibus nostris stat, pag. 874. dicens: *quod periculosa in corpore coorta constitutio; siue uere siue false iudicata, naturam ita turbet, et trepidam reddat, ut inops consilii et auxilii actiones suas desperabunda, tergiuersatione omittat.* Ut uero breuiore in enumeratione plebotomiam indicantium esse possimus, beneuolo lectori exempla ditiorum et pauperum ob oculos ponimus; cum neminem fugiat diuites succos uitales uariis pulpamentis et spiritibus animales, laudatis e penu pharmaceutico spirituosus, subsidiis, reficere gestientes, uitam in alacri motuum exercitio constantem longe frequentius amittere, quam pauperes et alios, qui communi more loquendi miserrime uiuunt. Hi neque tam crebro languent, neque in morbos tam facile implicantur, uel,

si omnes urbes et pagos attenti transimus, animae ac corporis uigore tam cito decrefcunt. Ex quibus ergo sua sponte fluit Venae fectionem subinde ualde proficuum, imo nonnunquam optimum remedium eſſe, ad motus naturae in ordinem redigendos, ſi ſcil. uel ob plethoram etiamnum praefentem, uel ob neglectam antea adſuefactam ſanguinis naturalem artificialemue euacuationem, illi ſunt anomali. Vitia motus pulſorii et tonici unica congrua ſanguinis ſubtractio plus ſaepe corrigit, et ſic naturam pariter ac corporea, reſoluentia, baſamica uolatilia, urinoſa graueolentia, acida, aquea, Salia, terrea, praecipitantia, acrimoniam corrigentia, nitrata, oleoſa, gelatinofa, anodyna, opiata, et Panaceae. Praeterea notum eſt, quam praefentaneum praefidium ſanguinis euacuationes adferant in terrore, moerore, item ad abortus praecautionem, cuius rei ante paucas ſeptimanas demum euidens exemplum rurfus habuimus in Praxi Stoelleriana. Docet nos hoc ipſum a poſteriori etiam Praxis quotidiana in omnibus caſibus, ubi alias periculum in mora eſſe obſeruatur. Sedant enim congrue ac ſufficienter inſtitutae ſanguinis miſſiones in momento ferme dolores omnes, quos natura circa loca excretiora congeſtionibus ſuis cauſatur, et hoc eo certius, ſi ex conſuetudine talia molimina ſuſcipiuntur: in caſibus ſonticis ab haemorrhagia narium et pulmonum, a menſibus, lochiis et haemorrhoidibus ſuppreſſis, obortis auxilium praefentaneum quaſi procurant: imo ubi aegroti animam cum ſanguine ſimul amittere uidentur, artificiales ſanguinis ſubordinatae uentilationes in locis oppoſitis, haemorrhagias exceſſiuas



suas sistere, multorum Practicorum hodiernorum et nostra etiam obseruatione confirmatur. Taceo nunc reliquos adfectus de sanguinis uentilationum utilitate resectoria testantes, asthma humidum, siccum et conuulsium, angustias praecordiorum, palpitationes cordis (de qua re hiltoria p. 283. in *Consp. Medic.* D. D. IUNCKERI a Medicis legi relegique meretur) catarrhos suffocatio-  
 tuos, syncopen, paralytin, hemiplexiam, apoplexiam sanguineam, inprimis ubi adeo illi, qui sanguinem, ceu uirium uitalium thesaurum optimum quouis modo custodiunt, ad uitam tamen quasi reuocandam missiones illius ipsi serio urgent. Non minus in ischuria, testibus TVLPIO atque RIVERIO sanguinis imminutiones etiam praesentissime auxilio cedunt: quid in colica haemorrhoidali, nephritide, calculo et in suffocatione hypochondriaco-hysterica plebotomiae ad restituendam sanitatem et uires omittas reuocandas ualeant, multis, si placeret, exemplis nosmet ipsi possemus demonstrare.

## THES. XVII.

Expositis haecenus generalibus in applicatione analepticorum cautelis obseruandis, non immerito etiam quaeritur, an analeptica interdum magis necessaria sint, quam alia remedia, ad morbum et causas morbificas directa? Ad hanc quaestionem respondebimus, quam primum nonnulla pathologica practica de morborum medica consideratione tradidimus. Hos enim semper non solum a symptomatibus sed etiam symptomata a se ipsis exquisitius distinguenda esse arbitramur. Nos morbum in genere ut complexum omnium symptomatum, causarum et effectuum illorum in aegro-

*An analeptica conueniant posthabita cura morbi.*

aegrotantibus occurrentium intuemur. Causas morborum praeter efficientem (quae nobis itidem ac anima reliquarum nempe directrix est) in physicas et morales diuidimus; has in motibus ipsis uel excedentibus uel deficientibus quaerimus, illas semel ceu remotam uniuersalem, secundum quam omnes homines ad morbos et mortem dispositi sunt, dein ceu proximas et indiuiduales, quae utraeque diuersissimae sunt, consideramus. Symptomata causarum comites, ad morborum felicem exitum, quoad naturae intentionem certe semper directos, et hinc effectuum mutos quasi prophetas uocamus. Omni uero studio in haecce morborum signa attendimus, et specialissime in qualibet morbi specie solliciti sumus, ut uera a falsis, symptomata, inquam, essentialia ab extra essentialibus seu accidentalibus rite dignoscamus. Effectus, quamdiu Deus ius uitae et necis in aegrotantibus nondum exercere constituit, et omnia congrua, licet ignotis duriora uideantur, procedere sinit, semper est salutaris; siquidem *morbis per se nihil aliud est, quam medium et remedium*, ut Excellent. D. D. ALBERTI in *disser. de morborum salubritate*, loquitur p. 12. *pro sanitate amissa impetranda idoneum*. Ex speciali uero directione diuina, secundum quam omnibus hominibus moriendum est, uariis accidentibus euentus fit lethalis et mors appropinquat. In haecce omnia qui accurate inquirat, et ea apud se reuoluit, is sane optimam cynosuram inuenit ad Praxin suam rationaliter exercendam, ad quam non minus congrua applicatio analepticorum, quam debitae correctiones et emotiones impuritatum e corpore humano spectant. Ex hoc igitur patet, quod in statu desperato uana sit omnis medi-

medicatio, et ut mors certo imminens placide decurrat, melius sit ab analepticis abstinere, quam gratiosis medicationibus uanisque analepsis se risui exponere. Consentit hac in re nobiscum D. D. IOH. MICH. CRAFT *Medicus Castro - Fridbergensis Ordinarius*, qui iisdem ferme uerbis in *dissert. sua Inaugur. de Methodi medendi proportionibus mechanicis*, ubi in articulo primo de *necessitate medendi* §. 4. agit: *patet, inquit, quam uana sint illa adminicula agonizanti adhuc potiuunculam cordialem epithemata cordis, pulsus, &c. pro uiatico uolante penna, pede manique adportare.* Videbit etiam Medicus, in aliis morbis confortantia et analeptica non omnia exhaurire, imo absfona ea esse in morbis per se rite decurrentibus, et gradum symptomatum ordinariorum suorum nunquam excedentibus. Quis enim nescit, quod multi aegrotantium sine Medico et medicina reconualescant, qui tamen symptomata durante morbo suo grauissima experti sunt? Vt uero ad quaestionem redeamus, monendum est, quod defectus et errores energiae motiuae attenta subinde diligentia discernendi sint, ab ordinatis et adaequatis luctis Naturae, ut defectus confortantibus resarciantur, errores placidis materiae et motus correctionibus subleuentur, et ad statum ordinariae autocratiae, quantum possibile est, analepticis ducantur. Et sic placatio motuum per analeptica temperata eorumque excitatio per confortantia, materiae correctioni ceu causae morbificae et morbi curae praefertur. Sed talia tantum ad breue temporis interuallum continuamus, et nunquam remediis affectui primario contrariis hasce inducias inimus; nec etiam in eo acquiescimus sed presso pede ad causam continentem ipsius morbi abigendam simul

F festina-

festinamus. In exemplis clinicis huius quaestionis solutionem adumbrabimus. Sic u. g. in febribus acutis aestus excessiuos, anxiam respirationem, dolores, sitim, haemorrhagias &c. contemperamus, sed minime adstringendo uel sensus obnubilando, symptomata illa supprimimus: In casibus ambiguis morbi proprium genium sine medicatione per aliquot tempus expectamus aut per innoxia specifica interea consopimus: u. g. in inflammationibus pectoralibus emulsiua ex sem. C. M. in motibus anomalis haemorrhoidalibus millefolium, in doloribus Pilulas de cynoglossa ordinamus. In febribus intermittentibus, pro ratione paroxyfmi, horrores ac aestus satis saepe uehementer adfligunt, ut sane patientes sensibillissime debilitentur et symptomata urgentia magis interdum medicamenta requiri uideantur, quam morbus et causae illius. Nos tamen et hic praeter motuum contemperationem per diluentia resoluentia et digestiua nihil symptomatibus opponimus, nihilominus finem felicem morbo impo- nentes. In haemorrhagarum atque dolorum curis itidem nobis ut decet, cauemus a deceptoris illis elogiis, adstringentibus et opiatibus datis, quod scilicet ad moderamen motuum exhiberi possint et debeant sine formidine suppressionis ullius se- et ex- cretionis. Mittimus haec omnia et cum natura potius causam continentem in quolibet morbo aggredimur, eam usque ad extirpationem plenariam suam strenue inse- quentes; motus excedentes temperatis anodynis et paregoricis sedamus, si uero hi fuscitandi et uires naturae roborandae sunt, confortantibus illud efficere molimur, sicque curas palliativas bono consilio cui- tamus.

THESES.

## THES. XVIII.

Proposui equidem mihi, ad analepticorum no- *Analeptica*  
 menclaturam atque censuram nunc ueniens, illa se- *Specialia.*  
 cundum seriem ex triplici regno cum obseruationibus  
 et exceptionibus quibusdam enarrare; ast cum prae-  
 ter opinionem dissertatio iam iam excreuerit, et in  
 Patriam inopinato ob tristia fata Beati Curatoris reuo-  
 catus, tempus ab amicis praefixum mihi uix suppe-  
 reret, reiectis analepticis ut supra iam inuimus empiri-  
 cis inefficacibus, selectum eorum, quantum fieri pot-  
 est, succinctum tantum tradam. Et quidem ex Re- *Ex regno*  
 gno minerali habito respectu eorum ad morbos et sub- *minerali.*  
 iecta, commendamus Ambram, Succinum, cuius certe  
 essentia et sal uolatile uires amissas ualde instaurant;  
 Gemmas, quarum praeparata, ceu subtilissima ac pu-  
 rissima terrea remedia, acrimoniam in oeconomia a-  
 nimali absorbent, et una cum spasticis motibus exa-  
 cerbatis temperant, fibris musculorum sensibilissimum  
 robur etiam conciliant, hinc utiles sunt in febribus,  
 haemorrhagiis, casibus ab alto atque terrore, item in  
 infantum et nutricum morbis. Prostant composita il-  
 larum, Species de gemmis, de hyacintho, Puluis pan-  
 nonicus Sennerti, Volckameri, quae omnino encomio  
 suo digna sunt: Corallia eorumque praeparata cum  
 gemmis accurate conueniunt. Cinnabaris sine ulla  
 narcosi motus erroneos sedat; nam ob principia sua  
 sulphureo-mercurialia uiribus resoluentibus et ano-  
 dynis praedita est. De metallorum uiribus confor-  
 tantibus, a ueteribus summis laudibus celebratis, mul-  
 ta essent dicenda, si tempus et occasio hoc permitteret.  
 Inter omnia uero Aurum inprimis potabile redditum

ab omni tempore pro uniuersali non tantum confortatio, sed et pro Panacea contra omnes morbos habitum fuit. Huius uirtutem medicam alii ruinoso fundamento inniti putant, alii eandem ultra modum extollunt; quia uero nihil certi de uia illud soluendi nobis patet, neque laudibus istius quicquam detrahere, neque pro Panacea id efferre consultum uideatur. **DIPPELIUS** Aurum suum potabile in **ROTHII Einleitung zur Chymie p. 238.** descriptum in omnibus affectibus portentosis commendat. Essentiae dulcis Halensium eiusque effectuum mirabilium analepticorum ergo beneuolum lectorem ad ipsius Auctoris sui **D. D. CHRISTIAN. FRIDER. RICHTERI b. m. Tractatum der höchstnöthigen Erkenntniß des Menschen** ablegamus. De illius Viri pietate infucata id nobis certe pollicentes, quod si unquam Auctoritatis argumentum quid ualeat, illud in commendatione analeptici huius insignis omnium maxime pondus etiam addere posse existimamus. Certe a priori illud praeter Auctoritatis argumentum non habemus, quod Essentia dulcis ex uero auro constet, et a posteriori uero in Praxi Iunckeriana tam Halae Saxonum, quam Stoelleriana Barbyae, experientia edocti confirmamus, Essentiam hanc ob gratum saporem dulcem distam, in atrocissimis doloribus et *ἀκμῆν* paroxysmorum, in morbis quibusuis fortiter adfligentium, suauem inuenisse quietem, sine ulla narcosi uel ipsius morbi euentu periculoso, praecipue si neque subiectis calidioribus nec etiam crebro et largiter offerebatur. Exhibemus ergo illam in affectibus calculosis arthriticis conuulsivis et partu difficili &c. analeptici instar probatissimi. Nonnulli Chymicorum Vitriolo Solis quoque inesse facult.

facultatem roborandi testantur, nos uero neque illo neque auro foliato in Praxi nostra utimur, prius enim nobis remedium est plane incognitum, alteri uero nullam fidem habemus, quia nimis fixum est, ac nimis diu uentriculo intestinisque adhaeret. De reliquo insignis Medici DN. LVDOVICI sententia nobis perplacet, quando *praestare, inquit, ex medicamentis facere aurum, quam ex auro medicamenta.*

## THES. XIX.

Ad regnum uegetabile descendimus, siquidem *Ex regno uegetabili.* nobis ex usu uerisimum illud manet, quod OVIDIUS canit:

*Auxilium multis succus et herba fuit.*

Ex uegetabilibus homo nutrimentum suum ad uitam sustentandam capit, et primos nostros Parentes solo ex hoc regno cibos suos defumfisse probabilibus argumentis, si iam e re esset, declarare possemus. Antiquissimi insuper Medici cum uegetabilibus inceperunt curare, et Galenus certe non infelicior fuit hodiernis nostris sic dictis Artistis. Quod uero ad analeptica specialissime ex hoc regno attinet, illa largiter in radicibus, herbis, floribus, feminibus, fructibus, corticibus, gummatibus atque resinis plantarum latent, et ex iisdem colligi queunt. Non quidem hic ad signaturas recurrendum, ob quas ueteres quidam alia cordi, alia cerebro, alia hepatis, lieni, genitalibus confortandis, apta iudicarunt, quia haec principio fallaci et superstitioso innituntur. Nobis praecipuus analepticorum character odor et gratus sapor est, si uegetabilia iisdem gaudent. Nam inter omnes constat exhalationes adeo florum atque herbarum naturam mirifice exhilarare,

rare, ita ut ineunte vere atque aestate naturam humanam (per autumnum et hyemem uitae quasi pertaesam et uiribus uacillantem) iuuenili uirtuti exinde restitutam conspiciamus: Recreant ergo odor tot florentium plantarum, recreant sapor et uirtus medicamentosa esculentorum ac fructuum recentium earundem. De acidorum uegetabilium uirtute analeptica supra iam satis dictum esse putamus. Reliqua uires reuocant quia particulae temperatae sulphureae suaecolentes laxiori uinculo cum illis iunctae sunt, ac ita cum massa humorum, promptissimam mutuam amicitiam constituunt. Ad horum classem pertinent (a) *Radices*: angel. calam. aromat. caryophyllat. cost. cyper. rotund. galang. ir. florent. leuist. ostrut. pimpin. alb. zedoar. zingib. &c. hae ordinantur in substantia, infusis, decoctis, ut plurimum in essentiis et extractis. Praeter radices usuales hodie summis laudibus celebratur a quibusdam radix Ninsing uel Ginseng ex India allata quae ideo, quod externa figura homini similis uidetur, peculiarem cum eius sanguine et spiritibus uitalibus communionem habere, ac propterea uires singulares confortandi et uitae longaeuitatem conciliandi possidere creditur. Eam ob causam Medicis Norimbergensium in casibus difficilibus Puluis sequens pro roborante ualde usualis est.  $\mathcal{R}$ . pulv. marchion. scrup. ij.  $\mathcal{O}$ . regener. scr. j. rad. ninsing puluerfat. gr. jv. C. C. aurat. gr. vj. ol. cinam. gttj. M. cum auro foliat. Diu. in dos. 3. Nos uti eidem non omnem uirtutem medicamentosam et confortantem denegamus, ita tamen eandem ingenti pretio, ob quod in minima saltem dosi exhiberi potest, minime respondere existimamus. (b) *Herbae*: abrotan. basil. beton. calaminth. chamaedr. maioran.



maioran. mar. ueri, meliss. menth. origan. puleg. rorism.  
rut. salu. satirej. serpill. thym. quae cunctae magis ad  
usum topicum roborantem quam internum accom-  
modantur. (c) *Flores*: anth. aurant. cheir. citr. jasmin.  
lauend. lilior. conuall. primul. uer. rosar. spic. tunic.  
uiolar. &c. quorum aquae destillatae spiritus abstra-  
ctitii et syrapi plurimas formulas analepticas ingredi-  
untur. (d) *Cortices*: aurant. cascar. citr. cinam. et  
Winter. &c. qui uaria sub forma roborant, cascarillae  
potissimum, qui simul tonico-sedatiuus est. (e) *Li-  
gna*: aloes, rhod. fantal. junip. cum baccis eiusdem &c.  
Horum decocta, infusa et olea destillata non tam in  
motus quam materiam agunt. (f) *Semina*: ammios,  
aneth. anis. cardam. cubeb. cumin. foenic. piper. ro-  
tund. et long. Ex his olea destillata inter ex- et in-  
terna remedia confortantia praescribi possunt. (g) Re-  
liqua *aromata* cuncta. (h) *Gummata*: anim. benz. he-  
der. iuniper. mastich. myrrh. oliban. storac. calamith.  
tacamah. hisque cognata Balsam. de Copaiv. Peruv.  
quae et plurimum in pilularum forma sunt usuales.  
Inter medicamenta ex uegetabilibus praeparata hodie  
maxime usualia confortantia laudari merentur Essen-  
tiae angelic. carlin. helen. imperat. pimpin. ualerian.  
minor. uincetox. cum larga potissimum portione es-  
senticiae scord. remixtae; item essent. cortic. aurant.  
citr. cascar. cinam. millefol. theriacalia et anodyna a-  
lia. Sic et aquae destillatae solae, melius uero cum sy-  
rupis uel Essentia dulci commixtae in animi deliquiis  
et uirium lapsu multis omnino iam auxilio fuere. Ex-  
terne partes laesas roborat Essentia alias balsamica  
Stahlii dicta, quae constat pro ratione partis neruo-  
sae uel musculosae ex una parte essenticiae succini et  
dupla

dupla essentiae myrrhae uice uersa, cum oleo terebinth. impraegnatis. Speciatim naturam deficientem ad motus suos salutare excitamus Pilulis Beccheri, Stahlii, Polychrestis Halensium, Balsamicis Carlii, Confortantibus Lunckeri, quae omnes non multum a se inuicem differunt, et sine notabili discrimine ordinari queunt. Cumque grana Kermes ad uegetabile regnum quoque spectent, conuenit hic compositionis alkermes etiam meminisse, confortantis illius ac baseos cordialium uulgatissimae, imo sacrae, ubi analepsi opus est, anchorae Medicorum.

## THES. XX.

*Ex Regno  
animali.*

Ex regno animali uaria quoque inter remedia roborantia commendantur, maxime ubi de stimulo Venereo suscitando Auctioribus sermo est: Laudant enim in hunc finem medicamenta, ex castoreo, cantharidibus, priapo apri, cerui, stinco marino, formicis, lumbricis, moscho, zibetho, et huius generis aliis parata, qualia tamen si uoluptatis tantum causa adhibentur, res est Christiano indigna. Illa tamen aliis quoque scopis inseruiunt, ad uires languescentes in senibus, phlegmaticis restaurandas. Ad hunc finem autem pro scopo confortandi plura ex animalibus eorumque partibus desumpta faciunt. Inprimis ab Auctioribus commendantur sanguis, cerebrum, cranium, itemque secundina humana, et ex his paratus spiritus, quamuis ex uana quadam superstitione, qua ducti, spiritum uitalem insitum istis inhaerere existimant, cum tamen illa in omnibus cum Cornu Cerui et ex hoc paratis conueniant, nec praerogatiuam prae hoc habeant. Ita quoque margaritae aequae ac mater perlarum, conchae,

chae, &c. quia ex subtilissima terra constant sensibili-  
 lissimam uirtutem tonico-roborentem possident, et ta-  
 le quid eo magis ob sal uolatile quoddam in ipsis latens.  
 Quae denique de olei animalis insignis illius arcani  
 Christiani Democriti uirtute plane specifica naturam  
 excitandi et alia uice sedandi hic dicamus, ea *in differ-*  
*rationibus Clarissimi D. D. I. IUNCKERI de Medicina qua-*  
*dam efficaci in moribus naturae exacerbatis, et de specificor. an-*  
*tepilepticor. sigillatim olei animalis uiribus sub Praesidio iam lau-*  
 dati D<sup>N</sup>. PRAESIDIS habita, uideri possunt. De re-  
 liquis analepticis ex regno hoc in thes. IX. de salibus  
 uolatilibus, thes. X. urinosis, thes. XIII. de terreis, thes.  
 XIV. de gelatinosis plura iam diximus.

## THESES. XXI.

Sed hactenus de remediis analepticis e culina phar-  
 maceutica desumptis, progredimur nunc ad diaeteti-  
 cam. Virium debilitas non solis medicamentis corri-  
 gitur; sed saepe diaeta, liberior aër, aliaque succendi-  
 cula reficiendis iisdem faciunt, ait WEDELIVS. Et  
 nos, licet nunquam a partibus eorum stemus, qui omnia,  
 quae adsumunt, scrupuloser et ad stateram quasi exami-  
 nant, cunctaque euitare conantur, quae tamen huma-  
 na uita ferre debet; ad debitum tamen robur uitale  
 conferuandum, non solum diaetetica auxilia plus, quam  
 medica facere, sed et exantlatas uires in morbis, sub  
 labore, aerumna, &c. quam optume reconciliare, te-  
 stamur. Et sic longe diaeta antecedit Medicinam at-  
 que Chirurgiam; siquidem illa ostendit, quae circa  
 quantitatem et qualitatem assumendorum sanitatem su-  
 am curantes omnino nosse debent. Nam sicuti ex  
 Pharmacia non unicum analepticum omnibus aegro-  
 tantibus sufficit, *ita ex diaeteticis non omnibus omnia profunt.*

G

Sirac.

*Sirac. XXXVII, 31.* De qualitate esculentorum et potentiorum hinc inde iam egimus, quoad quantitatem autem cunctis modicum uiuendi genus commendamus. Ex alimentis maxime confortant iuscula carniū leuiter crocata et tenerarum herbularum. e. g. asparag. chaerefol. petrosel. fructus cinarae, &c. carnes ipsae animalium iuniorum, emulsiones amygdalinae, oua fortibilia, potus Thee, Coffee, Succoladae, decocta hordei, auenae, Spiritus frumentorum ac Vini, saccharum, pasulae maiores et minores, item fructus horaei exsiccati, cerasa, pruna damascena, pyra, mala, &c. panis recens pistus, saccharatus. Panis quidem optimum pauperum aequae ac diuitum confortatiuum est, ac reliquis alimentis deliciosis antefendum, id quod uel exinde apparet, quod etiam aegri sanitati restituti fere omnes panis primum recuperent appetentiam. Ne autem oruorum, quae remedium simplicissimum atque domesticum sunt, obliuiscemur, dicendum est, ea non solum alendo corpus, uires amissas cito refarcire, sed etiam ad incrassationem, lenitionem et temperationem, ubi haecce indicationes analepsin simul exigunt, omnium maxime esse accommodata. Sic u. g. maximi usus erit iulapium sequens: R uitell. ouor. recent. n. ij. sacch. alb. Ꝟ ol. cinam. gttij. Vin. Hispan. uel aliud bon. not. Ꝟvj. M. exactissime et detur cochleatim. Praecipue uino, si eo bono homines interdum modice utuntur; anima et corpus diu in uigore seruat. Gratissimum enim uitae nostrae tutamen succo huic et Quintae Essentiae uegetabili a Deo inditum est. Vinum calefacit, roborat, spiritus uitales auget, et in genere secundum Psalmistam, *Cor hominis laetificat. Ps. CIV, 15.* Vbi itaque deficiente uino aegrotantibus talia roborantia

tia

tia conducunt, ibi aquae analepticae et alia spirituosa substitui queunt. Vti alimenta congrua, ita aërem debiles atque infirmi quaerant conuenientem, ut semper in puro, temperato, modice sicco et calido aëre uiuere possint, quia in illo toni et pulsus aequilibrium, sicque totius corporis robur eo firmitus manet: Subitae uero eiusdem permutationes magis magisque corpus faciunt languere: Aliis autem, quibus ipsis curae cordique est, proportionatas uires solidarum ac fluidarum partium, pro motu corporis uoluntario perennante, sibi comparare conseruareque, illis neque regulas circa aerem praescribimus, quippe illo uix unquam uexantur, neque circa assumenda, quia uilissima et simplicissima optime perferunt, neque circa somnum, qui *semper dulcis atque reficiens est operario. Ecclesiast. V, u.* Quare magnum adeo arcanum atque confortans in opera laboreque diuturno latet; et nos omnes, qui roborari uolunt ad corporis laboriosum exercitium in se suscipiendum admonemus. Cum notabilissimis denique uirium ac sanitatis tutoribus, uictu scilicet simplici modicoque, et motu corporis uoluntario, animi pathemata pari passu ambulant, quippe quae uires saepius plus offendunt, quam ulla alia res non naturalis sic dicta. Tantum enim in corpus habent dominium, ut primum fere sanitatis atque energiae uitalis fundamentum in iis collocandum esse uideatur. In statu sano atque aduerso actus uitales ac ualetudinem in genere tam in bonam quam in malam partem alterare queunt, exemplo omnium motuum, qui quotidie iram, terrorem, tristitiam, inuidiam, gaudium, spem atque amorem excipiunt. Post alias animi commotiones sanguis exagitur et spasmi inducuntur, post alias rursus

fus sanguinis progressus impeditur et se- et ex-cretio-  
nes, in maximum uirium damnum, retardantur. Se-  
dulo itaque a Medico rationali opera danda est, ut  
quantum possibile aegrotantium suorum animum quo-  
uis modo sedatum et ab omni uehementia liberum  
reddat. Debilitatibus animi, ab obiecto ingrato et  
noxio iudicato inductis, adfectus contrarii opponan-  
tur, inter quos praecipue commendari merentur amor,  
spes et gaudium, de quibus *Clarissimus D. D. CARL*  
*in sua historia morborum p. 54. ait: eos, si moderati sint,*  
*ad sanitatis tum conseruationem, tum restitutionem multum*  
*conferre.*

## THES. XXII.

*Conclusio.*

Ex omnibus hisce obseruationibus ergo satis elu-  
cescet, in quo Analepsis Rationalis ad mentem no-  
stram consistat; nam omnia momenta ad haec re-  
deunt, ut congrua applicatio remediorum quorum-  
cunque laudabilium in uirium defectu ad morbos  
et symptomata prudenter dirigatur. Deus T. O. M.  
qui et animae humanae et medicamentis facultates  
tales concessit, ut sibi mutuo respondere atque ho-  
minibus saluti esse possint, det etiam mihi, condi-  
tionis meae genus suasu Amicorum nunc mutanti,  
eandem animi tranquillitatem, ut solum in eius  
S. S. uoluntate acquiescam, usque dum ap-  
propinquabit ipsius uitae meae  
beatus

F I N I S.


01 A 6509

ULB Halle


002 931 249

3









B.I.G.

Farbkarte #13

4.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
*QVA*  
**ANALEPSIN RATIONALEM**  
*PRAESIDE*  
**DN. ABRAHAMO VATERO**  
PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBLC.  
ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT.  
VT ET SOCIET. IMPER. NAT. CVRIOS.  
ET REG. BRITANN. SOCIO  
*DOMINO PATRONO STVDIORVMQVE SVORVM PROMOTORE*  
*AETERNVM COLENDO*  
*IN ACADEMIA VITEMBERGENSI*  
D. XX. OCTOBR. MDCCXXVII.  
*H. L. Q. C.*  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI  
EXPONIT  
AVCTOR RESPONDENS  
**IOANNES THILEN**  
MOENO - FRANCOFVRTANVS

